

leguntur de Homilia ejusdem Dominica cum ejus Antiphona ad Benedictus & Oratione. Festum vero Semiduplex in ea occurrente transferuntur in primam diem similiter non impeditam.

**DOMINICA PRIMA**  
post Epiphaniam, quae est  
infra Octavam.

In primo Nocturno legitur Epistola prima ad Corinthios, secundum superiorem Rubricam. 267.

Incipit Epistola prima beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio j.

**P**Aulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Sósthene frater, Ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatus in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum, & nostro. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

**R.** Hodiè in Jordàne baptizato Domino, aperti sunt caeli, & sicut columba super eum Spiritus mansit, & vox Patris intónauit: \* Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. **V.** Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de caelo facta est, Hic est Filius meus.

Lectio ij.

**G**Ratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Jesu: quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla gratia: expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi. Fideles Deus: per quem vocati

estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri.

**R.** In columbae specie Spiritus sanctus visus est, paterna vox audita est: \* Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. **V.** Coeli aperti sunt super eum, & vox Patris intónauit. Hic est Filius meus.

Lectio iij.

**O**bscero autem vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi: ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei ab iis, qui sunt Chloës, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sunt Pauli: ego autem Apólo: ego verò Cephe: ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?

**R.** Reges Tharsis & insulae múnera offerent: \* Reges Arabum & Saba dona Domino Deo adducunt. **V.** Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes. Reges Arabum. Glória Patri. Reges Arabum.

In secundo & tertio Nocturno leguntur Lectiones Dominicae infra Octavam. 262.

Si verbò dies Octava venerit in Dominica, dicuntur de die Octavae. 266.

**FERIA SECUNDA.**

De Epistola prima ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 2.

**E**T ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiae, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timóre,

& timóre multo fui apud vos: & sermo meus, & praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

Lectio ij.

**S**apientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non hujus saeculi, neque principum hujus saeculi, qui destruantur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Domini gloriae crucifixissent. Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in corde hominis ascendit, quae preparavit Deus iis, qui diligunt illum.

Lectio iij.

**N**obis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae à Deo donata sunt nobis: quae & loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.

**FERIA TERTIA.**

De Epistola prima ad Corinthios.

Lectio j. Cap. 5.

**O**mnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, ut tollatur

de medio vestram qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens, cum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi satane in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

Lectio ij.

**N**on est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur: non in fermento veteri, neque in fermento malitiae, & nequitiae: sed in azymis sinceritatis, & veritatis.

Lectio iij.

**S**cripsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis: non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idollis servientibus: alioquin deuberatis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceris si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idollis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum hujusmodi nec cibum sumere.

**FERIA QUARTA.**

De Epistola prima ad Corinthios.

Lectio j.

**A**udet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis saeculum?

cularia? Secularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles?

## Lectio ij.

**J**am quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis serviētes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque malédici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidam fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.

## Lectio iij.

**O**mnia mihi licent, sed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, sed ego sub nullis redigar potestate. Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc, & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori. Deus vero & Dominum suscitavit: & nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciama membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adheret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Qui autem adheret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem.

## FERIA QUINTA.

De Epistola prima ad Corinthios.

## Lectio j.

**D**E quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

## Lectio ij.

**N**olite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo enim omnes vos esse sicut melpsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quod si non continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.

## Lectio iij.

**I**s autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelē, & hæc consensit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelē, & hic consensit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidēlem, & sanctificata est mulier in-

fi-

fidelis per virum fidēlem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

## FERIA SEXTA.

De Epistola prima ad Corinthios.

## Lectio j.

**S**I linguis hominum loquar, & angelorum, factus sum velut æsonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & non verim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita ut montes transieram, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

## Lectio ij.

**C**haritas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit: sive prophetiæ evacuabuntur, sive lingue cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

## Lectio iij.

**C**um essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. Videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.

Nunc autem manent, fides, spes charitatis: tria hæc: major autem horum est charitas.

## SABBATO.

De Epistola prima ad Corinthios.

## Lectio j.

**D**E collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unum sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recõdens quod ei bene placuerit: ut non, cum venero, tunc collecte fiant. Cum unum præsens fuero: quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. Quod si dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt.

## Lectio ij.

**V**eniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan manebõ, vel etiam hyemabo: ut vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos modo in transitu videre, spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum, & evidens: & adversarii multi.

## Lectio iij.

**S**i autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit volõtas ut nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit. Vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini: omnia vestra in charitate fiant.

SAB-

## SABBATO PRIMO

post Octavam Epiphaniae.

Ad Vesperas, omnia, praeter Orationem, ut in Psalterio. 115. Quod servatur in aliis Sabbatis usque ad Septuagesimam.

Oratio.

**O**mnipotens sempiternus Deus, qui caelestia simul & terræna moderaris: supplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam nostris concede temporibus. Per Dominum nostrum.

Deinde sunt Commemorationes ibidem posita in Psalterio. 118.

## DOMINICA II.

post Epiphaniam.

Omnia ut in Psalterio, praeter ea quae hic sunt propria.

In primo Nocturno.

Incipit Epistola secunda beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio i.

Cap. 1.

**P**aulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiae Dei, quae est Corinthi cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia. Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, quae exhortatur & ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.

**R.** Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me: \* Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. **V.** Timor & tremor venerunt super me, & contulerunt me tenebrae. Miserere.

Lectio ii.

**S**ive autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quae operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.

**R.** Deus, qui sedes super thronum, & iudicas aequitatem, esto refugium pauperum in tribulatione: \* Quia tu solus laborem & dolorem consideras. **V.** Tibi inmerelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor. Quia tu.

Lectio iii.

**N**on enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quae facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taderet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitavit mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus quoniam & adhuc eripiet, adiuvantibus & vobis in oratione pro nobis: ut ex multorum personis, ejus quae in nobis est donationis, per multos gratiae agantur pro nobis.

**R.** A dextris est mihi Dominus, ne commovear: \* Propter hoc dilatatum est cor meum, & exultavit lingua mea. **V.** Dominus pars haereditatis meae, & calicis mei. Propter Gloria Patri. Propter.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi. Ex Praef. in Epistolas B. Pauli.

Lectio iv.

**B**eati Pauli Epistolaram lectionem dum assidue ausculto, perque hebdomadas singulas bis saepe, & ter, & quater, quotiescum-

cumque sanctorum Martyrum memoria celebramus, gaudio exultato illa spiritali perfrens, & exciter, ac desiderio incalasco, vocem mihi amicam agnoscens, & fere praesentem ipsum intueri, & disserentem audire videor. Sed tamen doleo, & molestè ferò, quod virum hunc non omnes, sicut par est, cognoscunt: verum ita illum nonnulli ignorant, ut ne Epistolaram quidem ejus numerum plane sciant. Hoc vero non imperitia facit: sed quod nolint beati hujus viri scripta assidue in manibus habere.

**R.** Notas mihi fecisti Domine vias vite: \* Adimplebis me letitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem. **V.** Tu es qui restitues hereditatem meam mihi. Adimplebis.

Lectio v.

**N**eque enim nos, quae scimus, si quid scimus, ab ingenii bonitate atque acumine scimus: sed quod erga hunc virum impense affecti, ab illius lectione nunquam discedimus: siquidem qui amant, si plus quam ceteri omnes eorum facta norunt, quos amant, ut qui de his ipsis sint solliciti. Id quod beatus hic veluti ostendens, ad Philippenses ait: Sicut est mihi justum, ut hoc de vobis omnibus sentiam, eò quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Evangelii.

**R.** Diligam te Domine virtus mea: Dominus firmamentum meum, \* Et refugium meum. **V.** Liberator meus, Deus meus, adiutor meus. Et refugium.

Lectio vi.

**Q**uapropter, si & vos quoque lectioni diligenter attendere volueritis, nihil aliud vobis erit requirendum. Verax est enim Christi sermo dicentis: Querite, &

Pars Hyemalis.

invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Ceterum, quandoquidem complures ex iis, qui huc nobiscum conveniunt, & liberorum educationem, & uxoris curam, & familiae providentiam susceperunt, ob idque toto sese huic labori dare non sustinent: at certe ipsi vos excitare ad ea saltem capienda, quae alii colligerint: studii tantumdem iis, quae dicta fuerint, auscultandis, quantum pecuniis colligendis impertientes. Nam etsi turpe sit, non nisi tantum studii a vobis exigere; optabile tamen erit si tantum saltem tribuatis.

**R.** Domini est terra, & plenitudo ejus: \* Orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo. **V.** Ipse super maria fundavit eam, & super flumina preparavit illam. Orbis. Gloria Patri. Orbis.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vii.

Cap. 2.

**I**n illo tempore: Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae: & erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem & Jesus, & discipuli ejus ad nuptias. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi. Tract. 9. in Joannem post initium.

**Q**uod Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere, & dicentes quod malum essent nuptiae, & quod diabolus eas fecisset: cum idem Dominus dicat in Evangelio, interrogatus utrum liceat homini dimittere uxorem suam ex qualibet causa, non licere, excepta causa fornicationis. In qua responsione, si meministis, hoc ait Quod Deus conjunxit, & homo non separaret.

**R.** Ad te Dómine levávi ánimam meam: • Deus meus in te confido, non erubescam. **V.** Custodi ánimam meam, & éripe me. Deus meus.

## Lectio viij.

**E**T qui bené erudití sunt in fide Cathólica, novérunt quod Deus fécerit nuptias: & sicut conjunctio á Deo, ita divórtium á diabolo sit. Sed propterea in causa fornicationis licet uxorem dimittere: quia ipsa esse uxor prior nóluit, quæ fidem conjugalem marito non servávit. Nec illa, quæ virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem gradum honoris & sanctitatis in Ecclesia téneant, sine nuptiis sunt: nam & ipsæ pertainent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus.

**R.** Duo Séraphim clamábant alter ad alterum: • Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth: • Plena est omnis terra glória ejus. **V.** Tres sunt qui testimoniúm dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

**Hoc R.** semper dicitur post viij. Lectiorem ab hac Dominica usque ad Septuagesimam, & á ij. Dominica post Pentecosten usque ad Adventum in Dominicis tantum.

## Lectio ix.

**A**C per hoc ergo Dóminus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmáretur, & ostenderetur sacraméntum nuptiarum: quia & illarum nuptiarum sponsus personam Dómini figurábat, cui dictum est: Servásti vinum bonum usque adhuc. Bonum enim vinum Christus servávit usque adhuc, id est, Evangélium suum.

**T**e Deum laudámus. 13.

**Ad Laudes,** omnia ut in Psalterio. 14.

## Ad Benedictus, Antiphona.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat ibi Jesus cum Maria matre sua. **Oratio.**

**O**mnipotens sempitérne Deus, qui cœlestia simul & terræna moderáris: supplicatióne popúli tui cleménter exaudi, & pacem tuam nostris concède temporibus. Per Dóminum nostrum.

Deinde fiunt Commemoratiónes ut supra in Vesperis Sabbati. 118.

**Ad Horas, & Vesperas,** omnia ut in Psalterio de Dominica.

## Ad Magnificat, Antiphona.

Deficiente vino, jussit Jesus impleri hydrias aqua, quæ in vinum conversa est, alleluia. **Oratio.** Omnipotens sempitérne Deus, ut supra.

Deinde fiunt Commemoratiónes ut supra in Vesperis Sabbati. 118.

Post Octavam Epiphaniæ usque ad Quadragesimam, quando occurrerit fieri de Feria, sic Officiúm ut in Psalterio, exceptis iis, quæ sunt propria. **Oratio** veró dicitur de Dominica precedenti.

## FERIA SECUNDA.

De Epistola secúnda ad Corinthios.

## Lectio j.

Cap. 3.

**I**ncipimus iterum nosmetipsos commendare? aut numquid egimus (sicut quidam) commendatiis epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & légitur ab omnibus hominibus: manifestati quod epistola estis Christi, ministrata á nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

**R.** Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Dómine, • Quam abscondisti timéntibus te! **V.** Et perfecisti eis, qui sperant in te Dómine, in conspectu filiorum hominum. Quam abscondisti.

Lec-

## Lectio ij.

**F**iducia autem talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficiens simus cogitare aliquid á nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti: non littera, sed Spiritus: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent inténdere filii Israël in faciem Móysi propter glóriam vultus ejus, quæ evacuat: quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?

**R.** Adjutor meus esto Deus: • Ne derelinquas me. **V.** Neque despicias me Deus salutaris meus. Ne.

## Lectio iij.

**N**am si ministratio damnationis glória est: multo magis abundat ministérium justitiæ in glória. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem glóriam. Si enim quod evacuat, per glóriam est: multo magis quod manet, in glória est. Habentes igitur talem spem, multá fiducia útumur: & non sicut Móyses ponébat velámen super faciem suam, ut non inténdenter filii Israël in faciem ejus, quod evacuat, sed obtusi sunt sensus eorum, usque in hodiernum enim diem, idipsum velámen in lectiõe veteris testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuat.

**R.** Benedicam Dóminum in omni tempore: • Semper laus ejus in ore meo. **V.** In Dómino laudábitur anima mea, audiant mansueti, & læténtur. Semper. Glória Patri. Semper.

Responsoria in hac & sequentibus Feris posita repetuntur in Feris sequentium Hebdomadarum usque ad Septuagesimam,

## FERIA TERTIA

De Epistola secúnda ad Corinthios.

## Lectio j.

Cap. 5.

**S**imus enim quoniam si terestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eò quod nólumus expoliári, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est, á vita.

**R.** Auribus percípe Deus lacrymas meas: ne sileas á me; remitte mihi: • Quoniam incola ego sum apud te, & peregrinus. **V.** Complaceat tibi, ut eripias me: Dómine adjuvandum me festina. Quoniam.

## Lectio ij.

**A**udentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinámur á Dómino (per fidem enim ambulámus; & non per spém) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari á corpore, & presentes esse ad Dóminum. Et ideo conténdimus sive absentes, sive presentes placere illi. Omnes enim nos manifestári oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

**R.** Stáuit Dóminus supra petram pedes meos, & diréxit gressus meos Deus: • Et misit in os meum canticum novum. **V.** Exaudivit preces meas: & edúxit me de lacu miserie. Et misit.

## Lectio iij.

**S**cientes ergo timórem Dómini hominibus suadémus, Deo autem manifestati sumus. Spero autem

tem & in conscientiis vestris manifestos nos esse. Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriam pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde. Sive enim mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis. Caritas enim Christi urget nos: estimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

*R.* Ego dixi, Domine miserere mei: Sana animam meam, quia peccavi tibi. *V.* Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me Domine. Sana. Gloria Patri. Sana.

## FERIA QUARTA.

De Epistola secunda ad Corinthios.

*Lectio j.*

*Cap. 7.*

**H**As ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos. Neminem lasimus, neminem corrumpimus, neminem circumvenimus. Non ad condemnationem vestram dico: Prædiximus enim, quod in cordibus nostris estis ad commoriendum, & ad convivendum.

*R.* Ne perideris me cum iniquitatibus meis: Neque in finem iratus reserves mala mea. *V.* Non intres in iudicium cum servo tuo Domine. Neque.

*Lectio ij.*

**M**ulta mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloria pro vobis, repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: fortis pugnae, intus timores. Sed qui

consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram amulationem pro me, ita ut magis gauderem.

*R.* Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: Cantabo, & psallum dicam Domino. *V.* Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo. Cantabo.

*Lectio iij.*

**Q**uoniam etsi contristavi vos in epistola, non me poenitet: & si poeniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit: nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur: saeculi autem tristitia mortem operatur.

*R.* Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus, misericordia mea. *V.* Laetabor & exultabo in te, psallam nomini tuo Altissime. Deus meus, Gloria Patri. Deus meus.

## FERIA QUINTA

De Epistola secunda ad Corinthios.

*Lectio j.*

*Cap. 10.*

**I**psae enim ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem, & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis. Rogo autem vos ne praesens audeam per eam confidentiam, qua existimor audere in quosdam, qui arbitruntur nos tanquam secundum carnem ambulamus. In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus.

*R.*

*R.* Deus in te speravi, Domine non confundar in aeternum: in justitia tua libera me, & eripe me. *V.* Inclina ad me aurem tuam, & salva me. Et eripe me.

*Lectio ij.*

**N**am arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes ulcersi omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. Quae secundum faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita & nos.

*R.* Repleatur os meum laude tua, ut hymnum dicam gloriae tuae, tota die magnitudinem tuam: noli me projicere in tempore senectutis: Dum defecerit in me virtus mea, ne derelinquas me. *V.* Gaudebunt labia mea cum cantavero tibi. Dum.

*Lectio iij.*

**N**am, & si amplius aliquid gloriaris fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, & non in destructionem vestram: non erubescam. Ut autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas: quoniam quidem epistolae, inquirunt, graves sunt & fortes: praesentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis: hoc cogitet qui ejusmodi est, qui quales sumus verbo per epistolas absentes, tales & praesentes in facto. Non enim audeamus insere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant: sed ipsi in vobis nosmetipsos metientes, & comparantes nosmetipsos vobis.

*R.* Gaudebunt labia mea cum cantavero tibi: Et anima mea, quam redemisti Domine. *V.* Sed & lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. Et anima. Gloria Patri. Et anima.

## FERIA SEXTA

De Epistola secunda ad Corinthios.

*Lectio j.*

*Cap. 12.*

**S**i gloriaris oportet (non expedit gloriaris) veniam autem ad visiones, & revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium caelum. Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum: & audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.

*R.* Constitute tibi Domine Deus in toto corde meo, & honorificabo nomen tuum in aeternum: Quia misericordia tua Domine magna est super me. *V.* Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Quia.

*Lectio ij.*

**P**ro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. Nam, & si voluero gloriaris, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae angelus satanae, qui me calophazet. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.

*R.* Misericordia tua Domine magna est super me: Et liberasti animam meam ex inferno inferiori. *V.* In

die tribulatiōnis meae clamāvi ad te, quia exaudisti me. Et liberāsti.

**Lectio iij.**

**L**ibenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutiōnibus, in angustiis pro Christo: Cum enim infirmor, tunc potens sum. Factus sum inops, vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum.

**R.** Factus est mihi Dominus in refugium: \* Et Deus meus in auxiliium spei meae. **V.** Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & factus est Dominus protector meus. Et Deus. Gloria Patri. Et Deus.

S A B B A T O.

De Epistola secunda ad Corinthios.

**Lectio j.**

Cap. 13.

**E**cce tertio hoc venio ad vos: in ore duorum, vel trium testimonium stabit omne verbum. Praedixi, & praedico, ut praesens, & nunc absens iis, qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non paream. An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illis: sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.

**R.** Ne perdidieris me cum iniquitatibus meis: \* Neque in finem iratus reserves mala mea. **V.** Non intres in iudicium cum servo tuo Domine. Neque.

**Lectio iij.**

**V**osmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscistis vosmetipsos quia Chris-

tus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi. Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis: nos autem ut reprobi simus. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc & oramus vestram consummationem.

**R.** Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: \* Cantabo, & psalmum dicam Domino. **V.** Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo. Cantabo.

**Lectio iij.**

**I**deo haec absens scribo, ut non praesens virtus agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem, & non in destructionem. De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum, Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

**R.** Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: \* Deus meus, misericordia mea. **V.** Letabor & exultabo in te, psallam nomini tuo Altissime. Deus meus. Gloria Patri. Deus meus.

**Ad Vesperas, Oratio.**

**O**mnipotens sempiterna Deus, infirmitatem nostram propitius respice: atque ad protegendum nos dexteram tuae majestatis extendere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat.

DO-

### DOMINICA III

Post Epiphaniam.

Ad Matutinum omnia ut in Psalterio. i.

In primo Nocturno.

Incipit Epistola beati Pauli Apostoli ad Galatas.

**Lectio j.**

Cap. i.

**P**Aulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis: & qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiam Galatiae. Gratia vobis, & pax a Deo patre, & Domino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam, secundum voluntatem Dei & Patris nostri, cui est gloria in saecula saeculorum: Amen.

**R.** Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me: \* Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. **V.** Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebrae. Miserere.

**Lectio ij.**

**M**iror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos volavit in gratiam Christi in aliud Evangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quero hominibus placere? Si adhuc hominibus placere, Christi servus non essem.

**R.** Deus, qui sedes super thronum, & iudicas aequitatem, esto refugium pauperum in tribulatione:

\* Quia tu solus laborem & dolorem consideras. **V.** Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. Quia tu.

**Lectio iij.**

**N**otum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. Audistis enim conversationem meam aliquando in Iudaismo: quoniam supra modum persequabar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coetaneos meos in genere meo, abundantius aemulatur existens paternarum mearum traditionum.

**R.** A dextris est mihi Dominus, ne commovear: \* Propter hoc dilatatum est cor meum, & exultavit lingua mea. **V.** Dominus pars hereditatis meae, & calicis mei. Propter. Gloria Patri. Propter.

In secundo Nocturno.

De Expositione Sancti Augustini Episcopi in Epistolam ad Galatas.

In Praefatione, tom. 4.

**Lectio iv.**

**C**Ausa, propter quam scribit Apostolus ad Galatas, haec est, ut intelligant gratiam Dei idem agere, ut sub lege jam non sint. Cum enim praedicata eis esset Evangelii gratia, non defuerunt quidam ex circumcissione, quamvis Christiani nomine, nondum tamen tenentes ipsum gratiae beneficium, & adhuc volentes esse sub oneribus legis, quae Dominus Deus imposuerat non iustitiae servientibus, sed peccato, iustam scilicet legem iniustus hominibus dando, ad demonstranda peccata eorum, non auferenda. Non enim auferret peccata nisi gratia fidei, quae per dilectionem operatur.

S 4

R.